


MICA  
1755.

36








1. Matth. Flacij Illyrici  
 explicatio de vocabulo  
 fidei. 1544
2. ejusdem, omnia Latina  
 scripta. C. Adiaphi.  
 1550
3. Oth. Corberi astrictio  
 sententia: Sola fides  
 justificat. 1548
4. Nic. Oren Epistola  
 Luciferi ad Spiritu  
 ales. 1544





DE IVDICIIS  
PIARVM SYNO-

dorum Sententia, initio  
enarrationis Symboli  
Nicensi exposita per  
Casparum crucigerum,  
Theologię professorem.

VVITEBERGÆ

*Ex Officina Iohannis Lufft,*

1 5 4 8.







# DE IVDICIIIS

PIARVM SYNODORVM SENTENTIA INITIO ENARRATIONIS SYMBOLI NICENI, EXPOSITA PER CASPARVM CRVCIGERVM, THEOLOGIAE PROFESSOREM.



DEO Symbola condita sunt in Ecclesia Dei, ut doctrinae summa breuiter comprehensa, semper in conspectu sit, & docti & indocti non mutilam doctrinam, sed quasi corpus integrae doctrinae secum in mente circumferant, & hac confessione se erudiant & confirmant, & eam in omni inuocatione inuocentur. Sed tamen semper ad haec breuia Symbola adiunxit  
A ij Ecclesia



## PRÆFATIO

Ecclesia longiorem explicatio-  
nem, & collegit testimonia a  
Deo tradita, ut sciamus, unde  
sumpta sit doctrina in Symbo-  
lis proposita, & fides nitatur,  
non humanis sententijs, sed per  
spicuo uerbo Dei.

Hanc Ecclesiæ diligentiam  
cum imitari nos quoque deceat,  
explicabimus ordine singulos ar-  
ticulos, Deo iuuante, & testimo-  
nia sumpta ex uerbo Dei, non  
male detorta, sed recte accom-  
modata, illustria & firma adde-  
mus, & ueterem ac uerum con-  
sensum catholicæ Ecclesiæ Dei  
fideliter recitabimus, & seque-  
mur. Cum enim Deus ita con-  
diderit Ecclesiam, ut simul & pa-  
tescerit sese, & certam uocem  
ediderit



ediderit de sua essentia & uoluntate, iuxta quam uocem agnosci, inuocari, & coli se præcipit, & hac uoce discernat ab omnibus gentibus, nequaquam licet hominibus ullis nouas opiniones de Deo gignere, ut ethnici & heretici horribiliter luserunt fingendis opinionibus, Sed unam, puram, & incorruptam uocem a Deo traditã in Ecclesia omnes sonare debemus.

Cum autem diabolus ardens odio Dei, ut eum contumelia adficiat, semper impulerit, & impellat leuia ingenia ad spargendas falsas opiniones, & in hac ultima senectã mundi maiores confusiones opinionum fore metuendum sit, utroq; modo  
A iij pugnan.



PRÆFATIO

pugnandum est, uidelicet, pre-  
tione & doctrina. Vt igitur Fi-  
lius Dei in aditu sui agonis, tan-  
quam summus sacerdos Eccle-  
siæ, precatur, ut doctrinæ puri-  
tas seruetur, inquit: Pater, san-  
ctifica eos in ueritate, Sermo  
tuus est ueritas. Ita nos ad huius  
nostri sacerdotis precationem  
adiungamus nostros gemitus  
ac uota, & quotidie petamus, ne  
lux ueræ doctrinæ extinguatur.

Te eterne Pater Domini no-  
stri Iesu Christi, qui condidisti  
genus humanum, ut inde tibi  
eternam Ecclesiam colligas, cui  
sapientiam & bonitatem tuam  
communices, oro, ut propter Fi-  
lium tuum regas mentes docen-  
tium & discientium, ut una, uera,  
& perpetua



PRÆFATIO

4

& perpetua sententia Euangelij  
 & ueræ Ecclesiæ catholicæ Dei  
 seruetur omnibus temporibus,  
 & sis efficax uoce Euangelij tui,  
 ut multi ad te conuertantur, &  
 te uera inuocatione celebrent, &  
 fiant hæredes æternæ salutis.

Priusquam autem enarratio-  
 nem incipio, meam confessio-  
 nem recitabo. Adfirmo coram  
 Deo & Ecclesia, me Symboli  
 Apostolici & huius Symboli Ni-  
 ceni articulos omnes fideliter  
 amplecti, & ab omnibus opinio-  
 nibus pugnantibus cum hoc  
 consensu Ecclesiæ toto pectore  
 abhorrere, & in hac fide Deum  
 inuocare. Sic cū & ego & alij in  
 Ecclesia nostra sentiant, manife-  
 stum est, nobis falsissime obijci,

A iij q ab





DE SYMBOLIS

q̄ ab Ecclesia catholica seiuncti  
simus .

*Symbola .*

Vt autem sciant studiosi ,  
quid sint Symbola, et quid agant  
Synodi condentes Symbola, de  
hac re pauca prefabimur . SYM  
bola uocarunt breuem articuloꝝ  
rum seu omnium, seu præcipuo  
rum doctrinæ Euangelij collec  
tionem. Et Apostolicum uetu  
stius esse Niceno non dubium  
est . Nicenum autem in Synodo  
Nicena, quæ a Constantino Im  
peratore conuocata fuit, condi  
tum est, in qua trecenti & octo  
decim fuerunt, qui sententias  
dixerunt, in quibus multi senes  
fuerunt, qui sub Diocletiano in  
supplicijs constantiam suam  
ostenderant, & ornati erant a  
Deo



Deo testimonijs miraculorum,  
fuitq; Synodi summus governa-  
tor Eustathius Antiochenus  
Episcopus, Nam doctrina de Fi-  
lio Dei etiam antea Antiochiæ  
graviſſimis testimonijs illustra-  
ta fuerat, in refutatione Pauli Sa-  
mosateni.

**S**ciendum est autem, Syno-  
dos nec cōdere, nec posse con-  
dere ullos novos articulos fidei,  
quia doctrina de essentia & uo-  
luntate Dei supra & extra con-  
spectum humanæ rationis posi-  
ta, non potuit, nec potest ab ul-  
lis angelis aut hominibus acie  
mentis creatæ deprehendi, Sed  
a Deo ipso monstrata est ange-  
lis, & patefacta edito certo uer-  
bo & illustribus testimonijs ge-

**I**  
Synodi non  
condūt no-  
uos articu-  
los fidei.

A v neri



## DE IVDICIIS

neri humano, quod uerbum  
Ecclesiae Deus commendauit, &  
in ea propagari iussit, & eius uer-  
bi fide uult agnosci & inuoca-  
ri.

Ideo dictum est Iohan. pri-  
mo: Deū nemo uidit unquam,  
unigenitus Filius, qui est in sinu  
Patris, ipse enarrauit. Et secun-  
de Petri primo dicitur: Non hu-  
mana uoluntate allata est un-  
quam Prophetia, sed a Spiritu  
sancto moti locuti sunt sancti ui-  
ri. Et primae Corinth. tertio:  
Fundamentum aliud poni non  
potest, praeter id quod positum  
est, quod est Christus Iesus. Et  
Ephes. secundo: Extructi super  
fundamentum Prophetarum et  
Apostolorum, existente lapide  
angula-



SYNODORVM

angulari Iesu Christo. Et Esaiæ  
 quinquagesimo primo: Posui  
 uerba mea in ore tuo. Et capite  
 quinquagesimo nono: Verba  
 mea, quæ posui in ore tuo.

Hæc & similia dicta plurima  
 in Prophetarum & Apostolorum  
 concionibus clarissime tes-  
 tantur, non recipiendam esse ul-  
 lam doctrinam de essentia & uo-  
 luntate Dei, nisi hanc unam, quæ  
 per Prophetas & Apostolos tra-  
 dita est. His enim commendauit  
 uerbum suum, quo se patefecit,  
 & addidit illustria testimonia, ut  
 certo sciremus, quis sit Deus, ubi  
 querendus, quomodo agnoscen-  
 dus & inuocandus sit, ne a uero  
 Deo humanæ cogitationes ab-  
 errarent, sicut ethnici uarie &  
 horribi-



DE IVDICIIS

horribiliter aberrarunt, et subin-  
de noua numina audacissime  
finxerunt.

<sup>2</sup>  
*Quid agāt  
Synodi.*

CVM igitur articuli fidei  
non alij sint, nisi quos certum est  
a Deo se patefaciente per Pro-  
phetas & Apostolos traditos  
esse, queri potest quid agant Sy-  
nodi? Respondeo: Synodi non  
gignunt noua dogmata, sed tan-  
tum profitentur sententias prius  
in scriptis propheticis & aposto-  
licis traditas, & ostendunt quo-  
modo intelligant hec dicta pro-  
phetica & apostolica, & testan-  
tur hunc intellectum ab Apосто-  
lis ad posteros transmissum esse.

*Synodi te-  
stes de do-  
ctrina diui-  
nitus tradi-  
ta.*

Sunt igitur Synodi testes seu  
testificationes de aliquo ueteri  
dogmate, quod testantur se am-  
plecti,



plecti, quia non sit commentum seu nouum, sed uera autoritate in ipsis scriptis propheti-  
cis et apostolicis traditum, quorum collatione conuinci se ostendunt, eam sententiam, quam profitentur, uerã esse. Adiuuari tamen Synodus & alijs certis testimonijs potest, quæ per Apostolos tradita esse ex ueris monumentis constat. Sic dicit Christus ad Apostolos Lucæ ultimo: Vos eritis testes horum, Non uult eos noua dogmata gignere, sed testes esse de doctrina diuinitus tradita.

VT autem magis conspiciatur, qualis sit Synodorum diiudicatio, exempla intueamur. Cum Samosatenus in narratione Io-



DE IVDICIIS

ne Iohannis: In principio erat  
uerbum, negaret λόγος intelligi  
oportere de persona, & commi-  
nisceretur corruptelas, quæ pro-  
phanis iudicijs concinnæ uide-  
bantur, probatissimi senes con-  
uenerunt ex multis prouincijs,  
ut errorem damnarent.

Hic nec Dionysio Alexandri-  
no, nec Gregorio Neocesariensi,  
nec ulli homini aut angelo, quan-  
tumuis magna sapiētia et uirtute  
prædito hæc potestas tribuenda  
fuit, ut de re tanta statueret suo  
iudicio, sine Dei uoce, uidelicet,  
Mente Dei ab æterno natum  
esse Filium, & hunc dici λόγος, &  
aliam esse Patris, aliam Filij per-  
sonam, & hunc Filium cum Pa-  
tre condidisse creaturas. Hanc  
tantam



SYNODORVM

tantam rem nulla creatura, sine  
 illustribus testimonijs, adseueran-  
 re potuit, nec adseuerantibus an-  
 gelis aut hominibus propria au-  
 toritate, de re tanta credendum  
 est.

Tantum igitur hoc agit Sy-  
 nodus, profitetur quid didicerit  
 ex scriptis prophetis & aposto-  
 licis, & ex ipsorum Apostolorum  
 recenti sermone. Adfirmat  
 igitur se credere, λόγος hic signifi-  
 care personam, & collatis alijs  
 multis dictis, ostendit hanc per-  
 petuam esse sententiam in scri-  
 ptis prophetis & apostolicis,  
 Testatur etiam se ab Apostolis  
 hanc ipsam sententiam acce-  
 pisse, & huius testimoniij memo-  
 riam tradit posteris.

Reñcie





## DE IVDICIIS

Reiicit igitur impiam Samo-  
fateni corruptelam, quia scit  
eam pugnare cum uera senten-  
tia, quam Deus de Filio patefecit,  
& uoluit extare in monumen-  
tis propheticis & apostolicis, &  
statuit execrabilem audaciam  
esse, & diabolicum furorem, ali-  
ter de Dei essentia docere, q̄  
sicut se Deus ipse patefecit.

Ex hoc exemplo adparet,  
quid agat Synodus, non gignit  
nouum articulum, aut nouam  
interpretationem, sed testis est  
ueræ & incorruptæ sententiæ  
tradite in scriptis, & uoce Apo-  
stolorum.

Sicut enim singulos priua-  
tim, tum Pastores, tum alios, si  
quando contraria dogmata  
profe.



proferuntur, necesse est sua confessione testimonium suæ fidei ostendere, qui non gignunt noua dogmata, hac testificatione, Ita in Synodis multi suas confessiones recitant. Vult enim

Deus esse iudicia doctrinæ in Ecclesia, propter has quatuor grauisimas causas, quarum prima est, quia uult retineri ueram doctrinam, & refutari falsam.

*Causæ,  
quare Deus  
uelit esse iudicia doctrinæ in Ecclesia.*

Secunda, uult collatione dictorum prophetorum & apostolicorum erudiri & confirmari imbecilliores, et errantes in uiam reuocari, quæ etiam facienda sunt in Synodo.

Tertia, uult semper in Ecclesia coetum aliquem esse, confessione communi testificantem de

B doctrinæ



## DE IVDICIIS

doctrina, & ut sciri possit, quæ  
& ubi sit Ecclesia, sicut scriptum  
est: Ex ore infantium & lacten-  
tium perfecisti laudem. & ut im-  
becilliora membra Ecclesie passim  
sparsa confirmantur, & cog-  
nita doctiorum confessione, au-  
diant, discant, rectius inuocent  
Deum, & se ad illum cœtum, qui  
uere est Ecclesia, sua confessione  
adiungant. Idq; præceptum est  
omnibus: Et tu conuersus, confir-  
ma fratres tuos. Item: Credidi,  
propter quod locutus sum.  
Item primæ Petri secundo: Vos  
estis genus electum, populus pe-  
culiaris, ut uirtutes enarretis eius,  
qui uocauit uos ex tenebris in lu-  
cem admirandam.

Ita confessio Synodi Nicenæ  
edita



edita est, ut alij imbecilliores erigerentur, qui consideratis fontibus, & adiuti horum testimonijs, deinde ad hanc se confessionem adiungebant, & sciebant iam, quæ & ubi esset uera Dei Ecclesia. Et nunc confessio docentium in nostris Ecclesijs consentiens, est uelut uox Synodi, in qua testimonijs perspicuis & euidentibus refutamus errores, & ad ueram inuocationem, & ad ueros Dei cultus Ecclesiam reuocamus.

Quarta, quia uult Deus propter posteritatem edi subinde aliquorum consentientem confessionem, ut etiam posteritas erudiatur & confirmetur.

B ij PRO.



DE IVDICIIS

*Veræ Synodi iudiciū.*  
**P**ROpter has causas sunt in Ecclesia iudicia de doctrina, que Synodi uocantur, & sunt ueræ Synodi, cum recte iudicant, id est, cum ueram confessionem seu ueram testificationem edūt, quocunq; modo conueniant, siue regum autoritate, siue priuatis studijs, ut conuenerunt Maria, Elizabeth, Zacharias, item Apostoli, item uicini Episcopi in causa Samosateni, & multa sunt talia exempla.

*Refutatio eorū, qui cōtendūt iudicata ualere propter autoritatem Synodi.*  
**S**ED illi, qui amplificant potentiam Pontificum & Synodorum, contra disputant, Clamant nos pugnancia dicere. fateri esse oportere iudicia in Ecclesia, & tamen dicere, Synodis non licere gignere nouas interpretas



pretationes, & posse contradici Synodo gignenti nouam interpretationem. Hęc oratio, inquit, autoritatem iudiciorum labefacit. Imo ut in ciuilibus controuersijs ualet Principis aut Prætoris interpretatio, propter gradum & munus personæ, ita ualeat in Synodis rerum iudicatarum autoritas, nec priuatorum reprehensione ea, quæ semel publico consilio decreta sunt, deleantur. In hanc sententiam multa plausibiliter a uiris politicis dici solent.

Ad hæc respondendum est, iudicia & executionem in Ecclesia aliquomodo discrepare a ciuilibus iudicijs. Deus uult in duabus disputationibus ciuilium

*Discrimen iudiciorum et executionis Synodi, et dijudicationis politice.*

B in con



## DE IUDICIIS

controuerfiarum ualere regiam  
& prætoriam autoritatem, ut fit  
aliquis finis ciuiliū discordia-  
rum, & mediocris fit tranquilli-  
tas, etiam si quid erroris est in in-  
terpretatione regia aut præto-  
ria. Et in talibus negocijs minus  
erratur, quia subiecta sunt huma-  
næ rationi, ut numerorum intels  
lectus &c. Deinde uult gla-  
dio coherceri eos, qui rerum iu-  
dicatarum autoritatem labefa-  
ciunt. Alioqui nunquam finis  
esset discordiarum.

Sed in iudicijs doctrinæ in  
Ecclesia, nō habēt Synodi Episco-  
porum aut similibus Doctorum  
autoritatem regiam aut præto-  
riam, id est, interpretatio eo-  
rum non ualet propter gradum  
aut



aut locum. Nec iam de Prop  
phetis & Apostolis loquor, quo  
rum ualet interpretatio propter  
manifesta Dei testimonia, sed  
de hac communi uocatione  
Episcoporum & Doctorum lo  
quor. Horum sententię sunt con  
fessio seu testificatio, quid intelli  
gant. Nec necesse est eis propter  
locum adsentiri, Sed auditor ab  
eis adiutus, quærit in dictis pro  
pheticis & apostolicis causas in  
terpretationis. Et cum constat  
eos errare, necesse est contradici,  
quia, si quis angelus de cœlo  
aliud Euangelium docuerit, ana  
thema sit, Ita nunc necesse est er  
rores Synodi Tridentinæ taxar  
ri.

Nec id obstat quod obiicitur,  
B iij tur,



## DE IVDICIIS

tur, non fore finem dissensionum, quia in mundo talia dissidia semper fuerunt, sunt, & erunt, donec ea Deus dijudicat. Nunquam maior pars principum & populi Iudæorum adprobaturam erat doctrinam Apostolorum. Sed Deus tandem deleta eorum republica eos refutavit, & hac, ut ita dicam, executione suæ sententiæ, finem eius dissensionis fecit. Interea uero Apostoli a principibus Iudæorum interficiebantur. Ita nos expectemus Dei iudicium, & interea seueritiam hostium doctrinæ sustinendam esse sciamus.

Quod Ecclesia sit audienda, nec defugienda dijudicatio

Cum igitur Deus semper aliquem cœtum confidentem seruet, & inter tantas dissensiones  
omnis



omnibus temporibus sint aliqui recte sentientes, qui iudicant, tenenda est regula, audiendam esse Ecclesiam, quæ Euangelium sonat, ab ea doceri nos sinamus, sicut dixit Samson: Nisi mea uis tula arassetis, non inuenissetis, id est, non audiissent uocem Euangelij Gentes, nisi Ecclesiam populi Israel docentem audiissent.

Sic omni tempore sciamus Ecclesiam audiendam quidem esse, sed credendum uerbo Dei, ut audiebant pij Synodum Nicensam, sed fides non nitebatur humana autoritate, non amplectebantur articulum de re tanta propter hunc coetum, sed propter certa & illustria testimonia tradita in scriptis prophetis & apostolicis.

B v Hoc



DE IVDICIIS

*Quādo re-  
ijcienda. Sy-  
nodi senten-  
tia, aut ap-  
probanda.*

Hoc discrimen tenendum est, & suus honos Ecclesiae tribuendus, nec contemnenda est uere Ecclesiae confessio, nec omnes Synodi sine discrimine contemnendae sunt, sed seruetur Pauli regula: Explorate spiritus, an ex Deo sint. Consideretur, quae dicta prophetica & apostolica, & quae testimonia purioris Ecclesiae, Synodus secuta sit. Si disidet a scriptis prophetis & apostolicis Synodi sententia, necesse est eam reijci, ut Paulus praecipit: Si angelus de caelo aliud Euangelium docebit, anathema sit. ut Synodi coactae Arimini, & in oppido Pannoniae Sirmio Constantini tempore corruerunt puram doctrinam de Filio Dei. Sed



Sed cum agnoscimus decretum  
alicuius Synodi cum testimonijs  
prophetice & apostolice doctri-  
ne sine sophistica intellectis con-  
gruere, & esse ueterem & incor-  
ruptam Ecclesie doctrinam, ue-  
ritati obtemperandum est, &  
pias mentes confessio recte sen-  
tientium confirmat.

Sunt & hoc monendi lecto-  
res, quod nunc disputatur. An-  
te cognitionem non sunt cogen-  
dae Ecclesie, ut promittant se Syn-  
odi decretis obtemperaturas  
esse, ut, si nunc postuletur, ut om-  
nes promittant se obtemperatu-  
ros esse decretis Synodi Triden-  
tinæ. Id ante cognitionem non  
est postulandum, quia Synodi  
sunt iudicia ordinaria, quæ red-  
dun-  
iudiciū Sy-  
nodi sit or-  
dinarium.



## DE IVDICIIS

duntur in inuitos, ut dici solet, Estq; mandatum Ecclesijs, ut legitimam cognitionē instituant, qua instituta, si recte pronunciatum fuerit, obtemperandum est. Et si quis non obtemperat, iuste punitur.

Sin autem non recte pronunciatum fuerit, pios aduersari decreto Synodi necesse est. Et si defensores Synodi uolent eius autoritatem tueri, pñ ferant iniuriam, & se Deo iudici commendent, sicut Apostoli condemnati a Synagoga iniuriam ferebant.

Hæc uera sunt. Sed nunc hostes ueræ doctrinæ, & summam potentiam tenentes pugnant, ut sine contradictione recipiantur  
de=



decreta suarum Synodorū quā-  
 liacunq; ut confirment opinio-  
 nem, Synodos habere regiam  
 auctoritatem, ac oportere inter-  
 pretationem Synodorum de do-  
 ctrina recipi, sicut in legum ciuili-  
 um iudicijs necesse est Regum  
 interpretationem recipi. Hæc  
 etiam recensui, ut illustrior sit  
 differentia Synodorum, & ciuili-  
 um iudiciorum.

**Q**UÆRunt & hoc aliqui: *In dissensio-  
 nibus dog-  
 matū unde  
 sciatur, u-  
 tra pars re-  
 ste sentiat.*  
 Cum duo sint coetus in  
 Ecclesia, inter se dissentientes,  
 unde sciendum est, uter recte  
 sentiat, cum uterq; pro se citet  
 scripturam, & sæpe pars que er-  
 rat, successionem ordinariam te-  
 neat, antecellat auctoritate, et mul-  
 titudine, habeat pro sua opinio-  
 ne



## DE IVDICIIS

ne Patrum exempla & scripta, habeat & longæ consuetudinis testimonium, quæ multum apud homines ualet. Vnde igitur aut ipsi iudices sument certam sententiam, aut populus sciet, utri recte sentiant? & cur necesse sit adsentiri Nicenæ Synodo, & non Ariminensi?

Hic decurrunt uiri politici ad similitudinem ciuiliū iudicioꝝ rum. In his si qua est ambiguitas legum, sequenda est interpretatio prætoris aut principis, & propter hunc gradum ualet interpretatio. Ita dicunt uiri politici eius Synodi interpretationem ualere, quæ legitimo modo ab ordinaria potestate collecta sit. Deinde dicunt, non ex solis scri-  
ptis



ptis prophetis et apostolicis, & Symbolis pronuntiandum esse, sed etiam ex consensu, qui in precipuis Scriptoribus ecclesiasticis extat, ut, cum plerique omnes nominant Cœnam Domini sacrificium, aut plerique omnes nominant satisfactiones, aut mentionem faciunt inuocationis mortuorum, hunc consensum aiunt sequendum esse sine contradictione. Et hunc consensum dicunt Groperus, Vuicelius, & multi alij, normam immotam esse in Ecclesia, Singulos homines errare posse ac potuisse, sed communem uocem catholicæ Ecclesiæ non posse errare. Hæc imaginatio plausibilis est, & quia congruit cum politicis opinionibus,



DE IVDICIIS

bus, & quia uidetur normam  
mōstrasse commodiorem, cum  
adprobet id, quod propter consue-  
tudinem gratius est.

Sed opponenda est huic ima-  
ginationi hæc immota senten-  
tia: Si quis aliud Euangelium do-  
cet, anathema sit. Vbi manifesta  
sunt dicta prophetica & aposto-  
lica, & manifestum est, dissentire  
consuetudinem aut scriptores,  
quorum plurimi imitantur suæ  
ætatis ritus, ibi facilis est dijudica-  
tio. Necesse est anteferri uocem  
Dei dictis hominum. Vt in  
populo Israel, manifestum man-  
datum erat, ne plura templa con-  
derentur. Etsi igitur consuetudo  
erat, plura condere, tamen Pro-  
phetæ ea damnabant. Et habe-  
bant



bant expressum mandatum uo-  
ce Moisi traditum. Inde populo  
facile erat iudicare, utri recte sen-  
tirent. Erat alia multo obscu-  
rior quaestio de Messia, an habi-  
turus esset imperium politicum,  
an uero sine imperio in hac uita  
futurus, & futurus uictima. De  
hac quaestione maxima pars po-  
puli & doctorum omni tēpore  
sensit, eū imperium mundi occu-  
paturū esse. Reclamabant pauci,  
sed habebāt expressa testimonia  
Prophetarum, quę sine ambigui-  
tate adfirmabant Messiam fore  
uictimam. Hęc Prophetarum di-  
cta anteferenda erant contrarijs  
opinionibus multitudinis.

Ac de talibus, ubi conuinci  
homines testimonijs manifestis  
possunt,



DE IUDICIIS

possunt, facilis est dñjudicatio, ut nunc de multis articulis, de coniugio, de discrimine ciborum, imo de Missa, adplicationem ex opere operato non mereri alijs remissionem.

Sed unde erunt certi homines in locis obscurioribus, in quibus uidetur ambiguitas esse? Respondeo: Quando Patribus aut Prophetis aut Apostolis data est uox promissionum seu Euangelij, & quando ipsi primũ docuerunt, Deus addidit manifesta testimonia, scilicet miracula, quæ ostenderent eam doctrinã diuinitus traditam esse. Sed nunc post promulgationem & confirmationẽ doctrinæ, nõ petatur noua miracula, & si semper in

*De certitudine interpretationis in obscurioribus cõtro uersijs.*

*Miraculorum testimonia in doctrinã Ecclesie.*



in Ecclesia sunt miracula, sed tamē nō omnia cōuincunt impios.

Sit igitur postea certitudo ex ipsis dictis propheticis & apostolicis, quorum natiuam sententiam in collatione agnoscit. Nec illud uerum est, quod dicitur, Literam ambiguam esse. Et quamquam inimici ueritatis proprie dicta uarijs cauillationibus eludere possunt, tamen sicut Deus semper seruat aliquem cœtum, qui est uera Ecclesia, ne desint ullo tempore testes de uera doctrina, seu multi seu pauci, ita illa uera Ecclesia inter cœtera dona Spiritus sancti & hoc habet, quod re ipsa est fides, qua mentes cedunt uerbo Dei, nec anteferunt humanam sapientiam, Sed ut Paulus

C ij præ

Verum donum interpretationis in Ecclesijs



DE IVDICIIS

præcipit, redigunt se in hanc piam captiuitatē, ut obediāt Christo, sicut 2. ad Corinth. decimo scriptū est. Et hæc ipsa fides seu adfensio amplectens dicta apostolica in ea sententia, quam collatio ostendit esse natiuā, re ipsa est donum interpretationis, quod est lux fidei, crescens in ipsis exercitijs poenitentiae, in pauoribus, in persecutiōe & cōsolationibus, ut scriptum est: Eloquia Domini casta, argentum purgatū septuplū.

Nec tamen desunt huic uerae Ecclesiae testimonia priorum temporum, quia Deus subinde excitauit testes ueros, & aliquorum monumenta propter posterios seruat, sicut & nostram confessionem prælucere uult posteris

*Testimonia  
priorū tem-  
porum Ec-  
clesiæ.*



steris. Et hæc uera Ecclesia discer-  
nit scriptores sinceros ab insince-  
ris. Certi sunt igitur & p̄ij iu-  
dices, & p̄ij auditores ex ipsis fon-  
tibus prophetis & apostolicis,  
& ex alijs sinceris testimonijs  
Symbolorum, & congruentibus  
probatorum Scriptorum asseuera-  
tionibus. Et hæc satisfaciunt pijs,  
quia in eis fides lucet, quæ cū re-  
uerēter amplectatur uerbū Dei,  
& Dei sapientiæ se subiiciat, nec  
anteferat humanā, re ipsa donum  
est interpretationis. Acquiescit  
igitur hoc modo uera Ecclesia,  
cōtenta mandato isto: Hic est Fi-  
lius meus dilectus, hunc audite.

Quod autem reclamant im-  
p̄ij, nondum sibi hoc modo satis-  
factum esse, quia non satis eui-  
dens

C iij dens



DE IVDICIIS

denter ostensum sit, cur retineat Athanasius proprietatem in hoc dicto: Et uerbum erat Deus, & nolit retinere in altero: Pater maior me est. Talium clamorum finis non erit in hac cōfusione generis humani, Semper erunt aliqua diaboli organa, quæ ueritati aduersentur. Habet causam Athanasius, quare proprietatē hic retineat, Et uerbum erat Deus, quia postea mox additur de omnipotentia, per hunc Filiū omnia condita esse. & accedunt plura illustria testimonia. Hæc & si nō satisfaciunt Arianis, tamē sufficiunt pijs cedētibus uerbo Dei. Nec dijudicatio alia p̄ homines euidētior fieri potest. Sed Deus tandem dijudicat tales cōtrouersias, deleta una parte. Mag.



Magnum hoc tempore cer-  
tamen est de hac propositione:  
propter Filium Dei gratis do-  
nantur remissio peccatorum, &  
imputatio iusticiæ, & hæc fide  
accipi oportet. In hac sententia  
tenemus τὸ πικτὸν apud Paulum,  
alii corrumpunt ad fingentes alia,  
dicunt non gratis dari remissio-  
nem, sed propter certa opera, ex-  
cludi autem tantum Moisi cere-  
monias. Item, dicunt non accipi  
fide, nec opus esse hac fide, qua  
credas tibi remitti. Cū autem hæc  
interpretatio manifeste pugnet  
cum textu, magna causa est, cur  
suspecta esse debeat. Deinde  
nostra sententia non solū retinet  
proprietaem cōgruentem cum  
tota Scriptura, sed etiam confir-

C iij ma



DE IVDICIIS

matur exercitijs ueræ poenitentię.  
Ibi conspicitur, non acquiescere  
mētes, nisi agnoscant gratuitam  
esse remissionem. In his exercitijs  
accēditur lux, quę est donū inter  
pretationis. Tertio cōgruunt &  
meliorū Scriptorū testimonia.

Erasmus in Diatriba de libe-  
ro arbitrio, deridens eos, qui de-  
trahūt autoritatem gradibus gu-  
bernatorum & eruditioni, op-  
ponit contraria etiā nihil ad rem  
faciētia. Nihil facit ad rem locus  
Episcopi, aut philosophiæ cog-  
nitio, Audio, inquit, Sed etiā nihil  
facit ad rē gradus infimus homi-  
nis priuati, aut inscitia literarum.

Vtrunq; uere dicitur, quia  
hic fit mētio rerū, quę nō solum  
nō principaliter requiruntur in  
iudic



iudice, sed etiã non requiruntur  
ut instrumenta, seu ut causæ ad  
iuuantes minus principales, ut  
Deus toties præcipit, ut doctor  
seu iudex in Ecclesia sit eruditus,  
hoc est, recte didicerit doctri-  
nam coelestem, ut Malachiæ se-  
cundo: Legem requiram ex ore  
sacerdotis. Et Matth. decimo  
tertio: Sic erit omnis Scriba do-  
ctus. Et ad Timotheum: Episco-  
pus sit idoneus ad docendum.  
Obtemperemus igitur manda-  
tis Dei, & quæramus ac eliga-  
mus doctos iudices, potius quã  
indoctos. Nam & horum ali-  
quos habere Spiritum sanctum,  
non dubium est, Ac loquor de  
doctis in Ecclesia, hoc est, de ijs,  
qui recte didicerunt doctrinam

C v coele-



DE IVDICIIS

coelestem, & amant ueritatem, & bono studio inquirunt eam, & longo usu, & exercitijs fidei, aluerunt eruditionem, & quos uita ostendit non esse prophanos, aut fascinatos superstitione. Etsi enim pii et docti non admoniti errare possunt, tamen recte potest Erasmo responderi: Aliquid facit ad rem cognitio doctrinae coelestis in hominibus pijs. Inde igitur iudices deligantur.

Cur igitur multi sunt errores & horum, ut Bernhardi, Bonauenturae, aut similium? Quia non sunt admoniti. Si nunc uiuerent Bernhardus et Bonauentura, existimarem eos tuto eligi posse ad iudicandas controuersias, ubi nostram explicationem audiuisent. Certe de fundamentis in Ecclesia

fia



ſia inter ſaniores conſenſum eſſe  
neceſſe eſt, etiamſi alij magis, alij  
minus pprie locuti ſunt, hoc eſt,  
de articulis fidei, & præcipuis lo-  
cis doctrine Euangelij. Et ſi quis  
prudenter conſiderat omnium  
temporum ſcripta, animaduer-  
ter ſubinde fuiſſe aliquos, qui pu-  
rius docuerunt. Baſilius, Ambro-  
ſius, Bernhardus, de præcipuis  
materijs conſentiunt, ſed adhuc  
beatur in eorum lectione dexte-  
ritas iudicij & candor, & conſi-  
deretur, que cuiuſq; perpetua ſit  
ſententia, non excerpantur dicta  
impropria, qualia multa excidit  
omnibus, etiã diligenter loquen-  
tibus. Et tamen multis Scriptori-  
bus de fuiſſe et rationẽ explicãdi,  
& diligentiam, manifeſtum eſt.  
Nec



DE IVDICIIS

Nec propterea Augustinū aut  
Bernhardū abijcio, quia aliquid  
habent errorum, quos si admo-  
niti fuissent, correcturi erant. Se-  
pe enim fit, ut Sancti supra fun-  
damentū, quemadmodū inquit  
Paulus, extruant stipulas. Ita & si  
Bernhardus recte de articulis fi-  
dei, & recte de remissione pecca-  
torum docuit, tamen miscuit sti-  
pulas, inuocationem mortuorū,  
& superstitionem obseruationem  
uotorum. Multū enim singulis  
temporibus ualet publica eius  
ætatis persuasio, quæ plerunque  
aliquid erroris miscet doctrine.  
Sed tales errores deprehendi &  
emendari possunt, cū reditur ad  
fontes, id est, ad scripta propheti-  
ca & apostolica, & ad Symbola.  
Hæc



Hęc recitavi, ut de certitudine  
dogmatum cogitantes, quæra-  
mus unde sit certitudo, & quorū  
testimonijs adiuuetur. Est enim  
certitudo ex ipsis dictis a Deo  
traditis, quibus addit testimonia  
illustribus miraculis, ut resuscita-  
tione mortuorum, & alijs, quo-  
rum dictorum natiua sententia  
ex proprietate uerborum, & ex  
collatione propheticarū & apo-  
stolicarum concionum sumi po-  
test, Et cum his dictis aliqua cer-  
ta & perspicua testimonia Sym-  
bolorum ac probatorū Scripto-  
rū, qui Apostolos aut eorū disci-  
pulos audiuerunt, congruunt.  
Quare aliqui p̄i firma ad sensio-  
ne amplectūtur dicta diuina, qui  
mouētur & natiua significatione  
fer



## DE IVDICIIS

Sermonis diuini, & adiuuatur ue-  
teribus testimonijs, & quia non  
anteferunt suam sapientiam uo-  
ci diuine, sed in obsequium Chri-  
sti, ut Paulus inquit, sine cōtuma-  
cia recipiunt sermonē diuinum,  
confirmatur a Spiritu sancto, ut  
Iohannes inquit: Vnctio docet  
uos, scilicet, per sermonē diuinū.

Sic acquiescunt pij in dictis  
diuinis. Et quanquā iuuantur testi-  
monijs aliquibus Ecclesie, tamen  
credunt propter dicta diuina: Fi-  
des in inuocatione Filij Dei, niti-  
tur sermone diuino, nō decreto  
Synodi, sed tamen audimus Ec-  
clesiam docētem, testificantem,  
& auditores cōfirmantem, sicut  
ad Petrum dictum est: Et tu con-  
uersus confirma fratres tuos. In-  
terea



terea magna est multitudo im-  
piorum, qui suam sapientiam an-  
teferunt sermoni diuino, & satis  
fieri sibi nolunt, nec uideri uolunt  
perspicue cōuicti, qui in hac cōtu-  
macia magis excecātur, ut Rom.  
undecimo dicitur: Obscurentur  
oculi eorum, ne uideant. Ma-  
nent igitur certamina propter  
impiorum pertinaciam, sed pro-  
pter hanc nō existimetur sermo  
diuinus incertus esse, & similis fo-  
lis Sybillæ, Sed sunt aliqui p̄i,  
qui firma adfensione eum am-  
plectūtur, ut dixi, & tandē Deus  
refutat pertinaciam impiorum  
in signi exemplo, deleta tota fa-  
ctione, sicut deleuit Pharaonem;  
Ierosolymā post p̄dicationem  
Apostolorū, Manichæos, Aria-  
nos,



DE IVDICIIS SYNODORVM  
nos, & alios. Talia sunt Ecclesiae  
certamina, nec dirimi possunt  
per homines, autoritate regia  
aut praetoria, sicut controuersiae  
forenses de ciuilibus negocijs di-  
rimuntur.

Hanc totam commemoratio-  
nem de Synodis ueram esse cer-  
tum est, & profuturam esse pijs  
spero, quia hinc discunt si-  
dem niti sermone diuino,

Sed tamen pios doceri  
& confirmari posse  
testificatione pia  
rum Synodo-  
rum.

FINIS.



P







A55 110

AB A55 110

ULB Halle 3  
002 388 197




TA 302


218.












B.I.G.

Farbkarte #13



DE IVDICIIS  
PIARVM SYNO-

dorum Sententia, initio  
enarrationis Symboli  
Nicensi exposita per  
Casparum crucigerum,  
Theologie professorem.

VVITEBERGÆ

Ex Officina Iohannis Luffi,

1548.